

tantum dicam, quia minuta proportionalia, quibus deviationes pro locis centri epicycli extra nodos, & absidas ratiocinamur, eadem ratione indagarunt, & constituerunt, qua in primi motus doctrina partium eclipticæ declinatione inuestigantur: fit, ut in sexagesimo gradu ab aliqua absidum eccentrici, centro quidem epicycli Veneris existente, colligamus deviationem, s. minutorum, Mercurij autem 22. min. cum dimidio. Quod si deferens poneretur per librationes deuiare, in tali Veneris epicycli situ vera ratio nõ ultra 2. & semis minu. deviationem, Mercurij verò 11. minu. cum quadrante exposceret. In illius enim centri epicycli situ, angulus inclinationis plani eccentrici ad eclipticæ, non maior, s. minu. in huius verò 22. & semis, ex librationum proprietate motus, reperirentur. Atque ideo fortasse Ioannes de Regiomonte monendos studiosos putauit, calculum in latitudinibus circa prope verum tantum versari.

Lib. 13. prop.
21. epit. in
Almag. Ptol.

Postremò cum homines, quod Aristoteles alibi pluribus ostendit, natura sua scire appetant, næ molestum est satis, quòd nusquam æquè causæ τῶν φαινομένων sint abstrusæ, atque, ceu Cimmerijs tenebris, inuolutæ, quod ipse etiã Ptolemæus nobiscum testatur. Ut interim plura de Veterum in quinque planetis hypothesibus, quàm fortè ipsa nouarum (ut sic dicam) hypothesium cum enumeratio, tum ad Veteres collatio requirit, non adducam. Ptolemæum equidem, & qui eum sequuntur, æquè atque D. Præceptorem ex animo amos; siquidem verò sanctum illud Aristotelis præceptum semper in conspectu, ac memoria habeo φιλεῖν μὲν ἀμφοτέρους, πείθεσθαι δὲ τοῖς ἀκριβεστέροις δέ: etsi nescio quomodo, me tamen magis ad D. Præceptoris hypotheses inclinari sentio. Id quod fit fortasse partim, quia iam demum rectius me intelligere animum induco, suauissimum illud, quod Platoni ob grauitatem ac veritatem tribuitur, Τὸν Θεὸν αἰεὶ γεωμετρεῖν: partim verò, quòd in D. Præceptoris Astronomiæ instauratione, ceu caligine discussa, aperto nunc cælo, & ambobus, ut dici solet, oculis, vim sapientissimi dicti illius Socratis in Phædro, intuear, Εὰν τέ τινα ἄλλον ἠγήσομαι δλωνατὸν εἰς ἐν κ' ἐπὶ πολλὰ πεφυκότα ὄρεῖν, τοῦτον δὲ Διὸς κατόπιθε μετ' ἰχνιον, ὡς εἰ Θεοῖο.

Quid Rhetorius facturum fuisset, si illam Dei Geometriam secundum s. Corpora regularia, de quibus M. Keplerus differit, animaduertisset?

Per unum Orbem magnam apparentiam s. planetarum quas ad Solē habent, demonstratur. Cetera ipsis propria sunt.

His itaque, quæ de terræ motu hætenus dicta sunt à D. Præceptore meo confirmatis, sequitur (sicut in causis renouandarum hypothesium retulimus) ut omnis diuersitas apparentis motus planetarum

neta-